


T. 157

Helmstedt.

Exercitiationen in Schriften

Scripta Theologica Helmsladiensium

1. Erhardus Aenus M. Otton. et D. Gerb. Titii
2. Freifung des Hildebrandsenigen Kapistens Prohibitions
D. Gerardi Titii.
3. Contra Walerburgensium Scripta D. Gerb. Titii.
4. Disputatio Theol. de Deo naturae cognoscibil. Praeside
D. Hildebrando et A. M. Meiero habita.
5. Disputatio Theol. de attributis divinis.
6. Disputatio de Erroribus circa Deum D. Hildebrandi.
7. Instructio Hildebrandi de sacris publicis et de diebus festis.
8. De ritibus sacris Exercitatio eiusdem
9. De precibus veterum Christianorum eiusdem.
10. Rituale orationum eiusdem.
11. Disputatio de q. nonisimic, eiusdem.
12. Vindicta disputatio D. Gisenii ^{de purgatorio} officii Milmanni opposita a D. Frid.
Calisto.



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
ATTRIBUTIS
DIVINIS

Q V A M

D. O. M. A.

SUB PRAESIDIO

IOACHIMI HILDEBRANDI
S. THEOL. DOCTORIS ET OR-
DINARIJ PROFESSORIS
IN ILLUSTRI IULIA

Ad d. Ianuar.

Publico Eruditorum examini subijciet

GEBHARDVS THEODORVS *Steier*
Hannoveranus

IN MAIORI NOVI IVLEI AVDITORIO.



T157

HELM AESTADI,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

Anno MDCCCLIV.

SERENISSIMO CELSISSIMOQUE
PRINCIPI AC DOMINO
DN. GEORGIO WILHELMO
DVCI BRVNSVICENSIVM AC
LVNÆBURGENSIVM
Domino suo Clementissimo
A Consilijis Eminentissimis

VIRIS

*Generosa Nobilitate, Magnificentia, Perquam Reveren-
da Dignitate, Autoritate, splendore sapientiarumq,
usu & Consiliorum dexteritate Illustribus*

DN. IVSTO KIPIO ICTO Cancel-
lario & Consiliario Intimo

DN. IOHANNI VVISSELIO ICTO
Consistorij Ecclesiastici Assessori

DN. DAVIDI ~~SENEREN~~ ICTO, Abbati
Bursfeldensi, Consiliario aulico & Consistoriali

DN. OTTHONI OTTHONIS in Mauderoda
Consiliario Aulico & Monasterij Ilfeldensis
Administratori

IN FIDELIS CVLTVS INDICIVM

Atque Obsequium

L. M. Q.

Vt

Dominis meis Indulgentissimis, & Patronis Opt. Maximis

Do, dico, consecroquo

GEBHARD. THEODORVS Meier

Hannoveranus

A. O. R.

cl^o 15^o CLIV^o

Mense Ianuario

HELMESTADII.



THESIS I.



Vlti, proh dolor, id sibi persuasum hodie habent, se tum demum esse beatos, cum suas horas vanis perplexitatibus impendunt, cum strophas nectunt, inanes distinctiunculas parturiunt, cum contemplationes dirigunt ad dogmatifabilitates, attingibilitates vel hæccitates, aut quando inclusi disquirunt, quid sit catapodialiter, quid dabiliter; verum hi ipsi nil minus, quam beati sunt. Nos potius eos beatos pronuntiamus & quidem ter & amplius, de Deo qui studiosas curas instituunt & agunt, eumque pia contemplatione venerantur. Ad hanc homines solum nati, solum educti, cum cætera non tam propter sese, quam propter Dei cognitionem suscipiantur. Præclare hoc innuit Thomas Doctor ille Angelicus quem vocant L. 1. cont. gent. c. 4. *Ad cognitionem, inquit, eorum quæ de Deo ratio investigare potest, multa præcognoscere oportet: cum fere totius Philosophiæ consideratio ad Dei cognitionem ordinetur, propter quod Metaphysica quæ circa divina versatur, inter Philosophiæ partes ultima remanet addiscenda.* Nihil Cyrillus lib. 5. in Iulian. conferendum censet cum cognitione & subtili contemplatione Dei, non pecuniarum substantiam, non mundanum splendorem, non dignitatum gloriam. Vnde Thomas laudato loco Dei cognitionem naturalem nunc vocat *summum gradum humanæ cognitionis, nunc summum fastigium humanæ inquisitionis.* Seneca Philosophus, Stoæ addictus, (cujus

etiam meminit Hieronymus in *L. d. Vir. Illust.* ubi eum ponit in numero Sanctorum ob epistolas quas Paulus Apostolus & Seneca ad sese invicem exararunt, de quibus vid. Dilherr *l. 3. Elect. cap. 3. p. m. 293.* unice ad hoc se natum existimat, ut Deum contempletur. Ita enim inquit præfat. in quæst. natur. *Equidem tunc naturæ rerum gratias ago, cum illam non ab hac parte video, quæ publica est, sed in secretiora ejus intravi, cum disco, quæ universi materia sit, quis autor aut custos, quid sit Deus, toties in se intendat, an ad nos aliquando respiciat, faciat quotidie aliquid, an semel fecerit. Nisi ad hæc admitterer, non fuerat opera pretium nasci.*

II. Quapropter cum nuper pro teneritudine ingenij Deum esse, & quidem unum ex lumine naturæ probatum publicæ ventilationi exposuimus, & hodie nobis aliquid dandum sit, religionem putabimus, alia quam divina suscipere, & non potius ea quæ restare videntur pertere. Tractanda jam esset quæstio illa an Trinitatis Mysterium ex naturæ lumine cognosci possit, verum lubet jam intactam eam relinquere, & pauca de Attributis divinis meditari. Quia vero si *εργα παντός τις ἀρχηται καλῶς ἢ καὶ τὰς τελευταίς εἰκὸς εἶναι ὅτως ἔχειν* (h. e. si bene se habent principia, de egregia coronide spem bonam possumus concipere) ut præclare dictum à Sophocle citante id ipsum Plutarcho, in nomine Domini initium faciemus, & à quo & ad quem omnis nostra cognitio. Hoc & ipsi Ethnici non ignorarunt, unde Brachmanes apud Indos, ut & apud Persas Magi à Dei nomine omnia inchoabant. Pythagoras quoque & Plato, ab iisdem verbis suas lectiones orsi, in eadem desinebant: ut & Poætæ illi antiquissimi qui Philosophiam versibus tradidere, Orpheus, Homerus, Hesiodus, Pherecydes, Theognis &c ab love principum lubenter sumunt. Denique resonant Dei nomine numine-
que

que Stoa, Academia, Lyceum, ut habet Mornæus *d. Ver. Rel. cap. 1. p. 11.* Deus igitur nos regat almo suo spiritu, ut falsa rejicientes vera asseramus.

III. Specialia cum semper prærequirant generalium scientiam, si nimirum specialia & generalia idem habeant objectum, nec non specialium cognitio subordinetur & dependeat ex generalibus, prius in genere de Attributis divinis agemus, quam in specie ad singula nostram curam dirigamus. Anxie disquiritur apud Philosophos, ad quamnam pertineat disciplinam, Attributa in idea considerare? Certum est, ajunt, ad Metaphysicam hoc non pertinere, cum ea attributa Entis contempletur; nec ad Physicam hæc enim etiam affectiones tantum corporis naturalis considerat; nec ad Mathematicam, hæc namque attributa saltem quantitatis curat, Ergo ad aliam, quam Habitum Intelligentiæ vocant, ut Eisslerus Professor Regiomontanus, & Georg. Gutkies, qui primus novam illam scientiam, anno hujus seculi vigesimo quinto evulgavit. Vide de Gutkio Wendelinum in *Philosoph. Morali l. 1. d. Viri. Intell. c. 35. p. 216.* Vel vocant Intelligentiam, ut Ioh Geilfus Professor Tubingensis, vel Gnostologiam ut Valentinus Probus, D. D. Calovius, & Michael Erslerus. De Calovio ita judicat D. Eccardus in disp. 4. Metap. anno 45. d. 20. Xbris habitæ subjuncto Corollario: *Abrahamus Calovius absq; fundamento novam disciplinam, quam Gnostologiam appellat, excogitavit.* Nos hic certis de causis judicium nostrum suspendimus, cui placet attributa in idea contemplari in habitu Intelligentiæ, seu in Gnostologia placeat, cui displicet displiceat, nemini nos litem hac de re moturi sumus. Interim hoc patet, Attributa in idea esse scibilia, ergo alicubi sciri & sic tractari debent, sive in hac sive ista sive illa peculiari & nova disciplina (quod perinde, no-

de, nobis ut dictum) hoc fiat. Nos pro modulo paucis de
Attributis Dei in genere hic agemus

IV. Ne vero τὴν τριτάτην, quæ est altera species pulchri-
tudinis (Scal. exc. 342.) neglexisse videamur, tribus limi-
tibus rem omnem includemus. Primo, an dentur Attri-
buta Dei (2) Quid sint (3) Quotuplicia sint, in tribus hisce
tot nostra cura versabitur. Primum quod attinet, nem-
pe An dentur attributa Dei, paucis id expedire possumus,
cum res non adeo sit controversa. Argumentamur pro
parte agente hunc in modum: Vbicunque datur conce-
ptus qui non primò, sed postquam jam ea quæ ad primum
conceptum pertinent concepta sunt, concipiuntur, ibi
dantur attributa. Atqui in Deo dantur conceptus tales.
Ergo habet attributa. Major desumpta est ex natura At-
tributorum. Vid. Mendoz. *disp. Met. 3. s. 1. dist. 1. p. 114.* Mino-
rem probo, concipimus prius Ens à se subsistens, quam ejus
Sapientiam, Scientiam aut Potentiam. Hæc etsi satis mani-
festa, negavit tamen Becmannus qui se Massonium vocat,
& hodie non nemo, Deum gaudere attributis, ex hac ra-
tione, quia Deus est Ens simplicissimum. Verum dum hic
Deum simplicissimum dicit, Deo attributum tribuit, atq;
ita suum ipsius dogma jugulat.

V. Succedit secundum, Quid sint Attributa? Sunt
aurem Attributa Dei (quæ alias ab Autoribus, Dispositio-
nes, Proprietates, Designationes, Nomina, Perfectiones
vocitantur) conceptus primum illum Ens à se subsistens
proxime consequentes, transcendentaliter denominan-
tes, illumque in alio atque alio statu repræsentantes. In
descriptione hac partim est materiale, partim formale.
Materiale est & exprimitur voce *conceptus*. Nam dantur
conceptus, qui non statim sunt Dei conceptus. Omnis
quidem de Deo conceptus, est conceptus, sed non omnis
con-

conceptus est de Deo. Duplex apud Scholasticos habetur conceptus, Primarius & Secundarius. Conceptus primarius est & dicitur illud, quod primo à nobis concipitur, estque subjectum. Conceptus secundarius est qui ex primario fluit. Quilibet primarius conceptus est radix sive ratio aliorum conceptuum secundariorum. Mendoza *disp. Met. 3. p. 114.* In nostra descriptione intelligitur conceptus secundarius. Primo enim concipimus Ens à se subsistens (Vid. Clar. Slevogt. in *disp. de primo conceptu Dei*, ubi accurate, ut solet, hunc ipsum eruit) ex hoc conceptu alij, qui Attribute dicuntur, fluunt, non quidem physice & formaliter, sed logicè & virtualiter. Nam non proprie dimanant è subjecto, ut alia rerum proprietates, sed illud tantum proxime consequi concipiuntur. Formale quod materiale quasi specificat, exhibet tum subjectum quod est Ens à se subsistens tum formalem rationem, quæ consistit in verbis sequentibus, nim. Ens à se subsistens proxime consequentes & transcendentaliter denominantes. Transcendens duplex est, vel ratione nobilitatis, vel ratione communitatis. Duobus enim his modis aliquid transcendit prædicamenta, in cuius respectu Transcendens dictum. Illud quod ratione nobilitatis & eminentiæ transcendens dicitur, in nostra descriptione intelligendum. In volvit autem hæc locutio omnia requisita Attributorum Dei, quorum sex afferimus.

(E). VI. Primum est, ut Attributum Dei sit aliquid reale. Reale ambigè dicitur pro diversa ratione. Modo enim opponitur ficto & sic dicitur illud reale omne, quod est in rerum natura & non habet suum esse à nostra mente, ut Chimæra. Modo contra distinguitur realitati & sic Ens dicitur reale. Priori potius, quam posteriori modo accipimus reale, quando id ipsum requirimus ad Attribute. Si
cuti

enti enim non Entis nullæ sunt affectiones, ita etiam non
Ens non est affectio seu attributum. Posset quis objicere
contra primum hoc requisitum, I Quicquid à Deo non
differt realiter illud non est reale Attributa à Deo non dif-
ferunt realiter E. non sunt realia Resp. in Propositione
nulla est consequentia. *Optime enim fieri potest, inquit Sua-
rez disp. 3. Metaph. sect. I. n. 6. p. 66, ut attributa sint realia,
quamvis non re sed ratione distinguantur: & ratio est clara, quia
distinctio rationis, qua oritur ex præcisione intellectus, non est per
conceptionem alicujus fictæ entitatis, qua non sit in re, sed per mo-
dum solum inadequatum concipiendi veram rem, potest ergo esse
attributum reale, quamvis modus attributionis & distinctionis sit
solum per rationem.* Obj. II. Attributa divina originem
debent humano intellectui, antea enim nunquam fuerunt,
donec ab homine sunt introducta. Ergo non sunt realia
Resp. Distinguendo inter nomen & fundamentum rei.
Concedimus nomina attributorum ante contemplatio-
nem humanam non fuisse, attamen ante fuit fundamen-
tum eorum in re quam ullus homo extiterit. Nonnulli
quædam realia, quædam non esse realia contendunt. Ar-
gumentantur autem ita: Quicquid significat negationem
illud non est reale. Quædam attributa Dei significant ne-
gationem. Ergo non sunt realia Resp. (1) Instando, Irra-
tionale significat negationem. E. non est reale? (2) limi-
tando, quicquid significat negationem puram & destru-
ctivam illud non est reale, atque sic negatur minor. (3)
responderi potest saltem negando minorem, nulla habita
ratione majoris. Nullum enim attributum Dei signi-
ficat negationem, etsi quædam per negationem significan-
tur & indigitantur. Distincta hæc putamus, significare ne-
gationem & significari per negationem. Ita & Scholæ Do-
ctores distinguunt inter negationem, & id quod negatione
intenditur.

VIII. Se.

VII. Secundum est, ut **Attributum à Deo**, tanquam subiecto distinguatur. Necessè hoc est nisi Deum Dei attributum esse velimus. Duplici autem modo attributa à subiecto differunt, ratione vel realiter. Non requiritur ad attributum quatenus attributum ut distinguatur realiter, sed ut distinguatur, sive ratione sive realiter hoc fiat. Quæritur autem quomodo attributa à Deo differant. Quidam rei, quidam rationis invehunt distinctionem. Nos cum posterioribus facimus. Distinctio autem rationis est duplex vel rationis ratiocinantis, vel rationis ratiocinatae. Non prior, sed posterior rationis distinctio hic locum habet. Probamus. Quæcunque differunt conceptibus fundamentum in re præsupponentibus, illa differunt ratione ratiocinata. Atqui **Attributa à Deo** differunt conceptibus fundamentum in re præsupponentibus E. differunt ratione ratiocinata. Major liquet è natura distinctionis rationis ratiocinatae. Minorem probo, alia est conceptibilitas immortalitatis quam Dei. Optime hætenus dicta docet Bernhardus serm. 80 in Cant. *Non est Deus aliunde bonus, quam unde magnus; nec aliunde justus aut sapiens quam unde magnus & bonus; nec aliunde deniq; simul hæc omnia est, quam unde Deus & hoc quoq; non nisi seipso. Interim, ut ait alibi, amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut equitas, dominatur ut majestas regit ut principium; tuetur ut salus, operatur ut virtus, revelat ut lux, assistit ut pietas.* **Attributa non realiter sed ratione à Deo differre** docet etiam Aristoteles, quando 12. *Metaph. cap. 7. p. 562.* ita habet: *Φαυδὸν δὲ τὸν θεὸν εἶναι ζῶν, αἰδιον, ἀεισον. ὥστε ζῶν καὶ αἰὼν συνεχῆς καὶ αἰδιὸν ὑπάρχει τῷ θεῷ. τὸ το γὰρ ὁ θεός.* *Dicimus Deum sempiternum, optimumq; vivens esse. Quare vita & ævum continuum, & æternum Deo inest. Hoc enim est Deus. Dicit Deo inesse vitam & esse ipsam vitam, quo innuit, in Deo quod est, à Deo non esse*
B distin-

distinctum aliquod. Ita hic Aristotelem explicat Fonseca
in comment. sub L. m. p. 165. Melius igitur de Deo Aristoteles
sentit quam Vorstius, qui in *Tract. d. Deo p. 209.* non vere-
tur scribere *in Deo videri aliquid diversitatis inesse, ut aliud sit*
ipsa substantia Dei vivens, aliud vita seu vis illa per quam vivit,
esse in Deo aliud atq. aliud, per naturae necessitatem ab aeterno, neq.
esse simpliciter & omni modo vera axiomata, in Deo non cadere
ullum diversitatem aut compositionem.

IIX. Autores qui à nobis hic discernum fa-
um sunt generum. Quidam, ut VValtherus Iesuita, au-
runt attributa divina distingui ab Essentia divina realiter
ex natura rei. Rationem VValtheri ita refert Becanus
Theol. Schol. tract. 1. cap. 1. q. 1. Quia, inquit, quæ sunt ve-
quasi sunt in diversis predicamentis, ea inter se distinguuntur re-
aliter: Sed essentia & attributa divina sunt quasi in diversis præ-
dicamentis: cum essentia sit quasi in predicamento substantia, &
bonitas sit quasi in predicamento *actus*. Ergo distinguuntur
inter se realiter Resp. Errat VValtherus dum Divina juxta
modum Prædicame^{nti} examinat, Deumque can-
cellis prædicamentorum ^{id est} *inquinat*, cum sua nobilitate e-
minentia & perfectione longe excedat classes illas, imo
plus in se habet, quam *in illis* reperitur. Omnium re-
rum quæ habentur in prædicamentis perfectiones emi-
nenti prorsus modo *contingunt*, & præter eas plures alias.
Recte Severinus Boethius *l. d. Trinitate circ. med.* Decem
omnino prædicamenta, inquit, traduntur, quæ de rebus omnibus
universaliter predicantur i. e. *Quantitas, Qualitas,*
Ad aliquid, Vbi, Quando, Habere, esse, Facere, Pati.
Hæc igitur talia sunt qualia subiecta permiserint, nam pars eo-
rum in reliquarum rerum prædicamentis substantia est, pars in ac-
cidentium numero est. At hæc cum quis ad divinam verterit
prædicationem, omnia mutantur. Secundo falsum est Boni-
tatem

tatem esse quasi qualitatem, cum Transcendentalis bonitas nequidem qualitas sit. *Quicquid* inquit August. d. C. D. l. 8. c. 6. de Deo digne dicitur non qualitas est, sed essentia. Falsum & tertio est, illa quæ sunt in diversis prædicamentis statim distingui realiter, cum prædicamenta quædam non distinguantur realiter; ut ratio à suo fundamento. Prædicamenta diversificantur secundum diversos prædicandi modos, inquit Thomas l. 11. Metaph. lect. 9.

IX. Altera pars dissentientium Auctorum sunt Scoti, qui divina attributa distingui formaliter ex natura rei. Hoc Becanus loco ante citato ita explicat: *Quamvis intellectus, voluntas, sapientia, potentia & essentia divina sint una & eadem res simplex, tamen ratio formalis unius, non est ratio formalis alterius, sed ex natura rei sunt distinctæ rationes formales.* Argumenta eorum hæc sunt: 1. Quia bonitas in genere, distinguitur à sapientia in genere ex natura rei formaliter: cum alia sit ratio formalis seu definitio bonitatis & alia sapientia. Ergo quoque bonitas infinita distinguitur à sapientia infinita ex natura rei: quia infinitas addita bonitati vel sapientia non destruit naturam illius. 2. Quia hæc propositio est: Bonitas non est Sapientia: at non potest a formatur à nostro intellectu: Sed quia contra hoc dicitur, quam enunciat: Ergo ex parte rei supponit bonitatem non esse sapientiam. 3. Quia Filius ex natura rei producit per intellectum & non per voluntatem. Spiritus Sanctus per voluntatem & non per intellectum. Ergo voluntas & intellectus ex natura rei distinguuntur in DEO. 4. Voluntas ex natura rei supponit intellectum: & productio Spiritus Sancti, quæ est per voluntatem, supponit productionem intellectus. 5. DEVS intelligi-

telligit intellectu non voluntate : Et similiter vult voluntate non intellectu.

X. Verum ad singula facile responderi potest, & quidem ad primam rationem, falsam eam esse, cum falso fundamento innitatur, nempe communem esse rationem attributorum in Deo & Creaturis, cum ea quæ in Creaturis sunt distincta in Deo sint indistincta. Ad secundam resp. distinguendo inter conceptum objectivum, qui secundum essentiam de Deo formatur; & formalem, qui de conceptu objectivo formatur. Iuxta conceptum objectivum, quem hic Scotistæ intendunt, negamus hanc propositionem esse veram : Bonitas non est Sapientia, quia secundum illum nihil in Deo est nisi simplicissima unitas, quæ in Deo omnia attributa identificat. Iuxta formalem vero concedimus eam esse veram, sed de eo nulla hic est quæstio. Ad tertiam & quartam respondeo, nobis incognitum esse an Filius à Patre per intellectum, & Spiritus S. à Patre & Filio per Voluntatem procedat, cum illud in sacris literis nullibi nobis revelatum. Rem quidem ex Scriptura, non autem modum rei habere possumus. Denique ad ultimam respondeo, juxta conceptum objectivum non falsum est Deum intellectu velle, & voluntate intelligere, quod sic probamus. Deus cum sit simplicissimus, agit omnia per essentiam, non per facultatem aliquam distinctam ab Essentia. Quando igitur intelligit, per essentiam intelligit, & quando vult, per essentiam vult, intellectus itaque & voluntas sunt ipsa Essentia; si sunt ipsa Essentia, & hæc simplicissima, intellectus & voluntas idem, & sic etiam actus intelligendi & volendi simpliciter idem & divina Essentia erunt. Non igitur falsæ erunt hæc propositiones. Divinus intellectus vult; & divina voluntas intelligit, si modo juxta dicta nempe
con-

conceptum objectivum explicantur, & sic nihil aliud dicunt quam hæ: Essentia divina intelligit; Divina essentia vult. Si vero juxta formalem conceptum accipiantur, tolerari non possunt, cum tum Intellectus & Voluntas distincta sint. Intellectus enim noster quando videt Essentiam divinam id agere, quod Creaturæ per intellectum agunt, concipit illam sub ratione Intellectus; si videt id agere divinam Essentiam, quod Creaturæ per voluntatem peragunt, concipit illam sub ratione Voluntatis. Nulla autem consequentia est, Intellectus noster in DEO Voluntatem & Intellectum ut distincta concipit, Ergo distinguuntur ex natura rei.

XI. Tertium requisitum attributi divini est, ut Deo nihil positivi super addat. Hoc patet, quia aliàs Deus foret compositus; ex positivo enim & positivo fit compositio. Non autem quando Deum dicimus Sapientem, Omnipotentem, Deum componimus, cum hoc ipsum à nostro concipiendi modo fiat, & à mentis operatione quæ extrinseca est, & illum realiter non attingit, quod deberet si componeret; Omne enim, quicquid componit, debet ingredi illud ipsum, quod componit. Quartum est, ut attributum ipsam Essentiam divinam intimè involvat. Diximus attributa nihil addere positivi Deo, jam verò si non includerent essentiam divinam, prorsus nihil essent, quomodo ergo possent attribui. Sic Immortalitas intime involvit Divinam essentiam, ut & cætera. Quintum est, ut *inadequate* Essentiam divinam exprimant. Inadequate si non exprimerent, idem essent quod essentia divina, atque sic non attributa sed Synonyma Dei. Sextum est, ut Attributum de Deo formaliter prædicetur. Cætera quæ de Deo eminenter dicuntur non sunt attributa, sicuti & in Deo revera non sunt, quæ enim perfectiones in Creaturis

aturis sunt, Deo tribuuntur plane diverso modo quam attributa. Sic in homine perfectio est videre, ergo tribuitur Deo, non quod visio sit in Deo, sed quod illam eminentiori modo per Omniscientiam præstet.

XII. Tandem in descriptione dicitur, *Attributa Deum in alio atq. alio statu representare*. Deus est Ens nobilissimum ac perfectissimum, idquecirco uno adæquato conceptu à nobis concipi & exprimi nequit; hinc fit ut Deum jam sub statu Immortalitatis concipiamus, & dicamus Immortalem, jam sub statu miserendi, & dicamus Deum Misericordem, ut ita quantum fieri potest Deum apprehendamus. *Hæc de descriptione Attributorum, circa quam non negligendum quod Thomas habet part. 1. qu. 13. art. 3. p. 40. his verbis: In nominibus, quæ Deo attribui- mus, est duo considerare, scilicet perfectiones ipsas significatas ut bonitatem, vitam, & hujusmodi, & modum significandi. Quantum igitur ad id quod significant hujusmodi nomina, proprie competunt Deo, & magis proprie quam ipsis Creaturis, & per trius dicuntur de eo. Quantum vero ad modum significandi, non proprie dicuntur de Deo: habent enim modum significandi, qui Creaturis competit. Hæc ille, quæ semel notare volumus, ne ubique necesse habeamus ea repetere, quod molestum.*

XIII. Cum vero in Deo multa attributa sint quaeritur quomodo ab invicem distinguantur, realiter, an ratione eaque ratiocinante. Nos dicimus Attributa divina differre inter sese ratiocinata. Probamus. Quæcunque attributa differunt conceptibus fundamentum in re præsupponentibus, illa differunt ratiocinata. Atqui de Attributis divinis verum est. Ergo & posterius. Fundamentum hoc triplex à nonnullis indigitatur. Primum fundamentum sumit ab attributis communibus, ut sunt Veritas, Bonitas, Hæc

Hæc quia videt intellectus noster in humanis distincta esse, in Deo etiam distinguit, quamvis in se indistincta sint: Secundum sumit ab operum diversitate quia Deum nunc misereri videt, nunc punire, quæ distincta sunt opera in humanis, distinguit ea & eorum denominationem, nimirum Misericordiam & Iustitiam in divinis. Tertium fundamentum sumit ex distinctione earum rerum, quæ Deo plane repugnant, hæc ut distincta in humanis invenit, ita distinctim de Deo negat.

XIV. Quia quædam attributa Deus cum Creaturis habet communia, notandum est illa sese habeant ad Deum & Creaturas, sicut æquivocè an vero analogicè. Nolumus hic laxo spatium calamo, in quibus præsentias inquirere, sed statim nostram ponere quæ hæc: Communia habent se ad Deum & Creaturas analogicè. Proprietas. Quæcunque prædicata alteri secundo tribuuntur, illa prædicata alteri. Atque de prædicatis communibus. E. & posterius. Major è natura analogorum de Deo prædicata. Minor patet. Sapientia competit Deo, competit Creaturis, sed illi primario, his secundo. Dubitare autem an quæ prædicata, annon potius attributa illa primario creaturis secundo autem Deo. cum attributa illa de Deo dicantur causaliter, ut, quia causa bonitatis, dicitur bonus. Quicquid verò de aliquo causaliter dicitur, secundo de illo non potest dici prius enim dicitur animal sanum, quam medicina causa sanitatis. Resp. Negando Deum proprie dici bonum, quod sit causa bonitatis: hic enim propositio si valeret, nulla posset assignari ratio, quare quædam attributa magis de Deo dicerentur quam alia. Sicuti est causa bonitatis, ita & Lapidis, jam si hæc propositio
Deus

Deus est bonus nil aliud vellet, quam Deus est causa bonitatis, tum eodem modo Deus erit lapis, quia est causa lapidis. Imo dicere non veremur Deum potius esse causam bonitatis, quia bonus, quam esse Bonum, quia causa bonitatis. Quando autem Deus bonus dicitur, non casualiter sed essentialiter ita dicitur. Deinde probè notandum, etsi nonnulla prædicata prius Creaturis, utpote quas prius cognoscimus, imponuntur à nobis, quam Deo, fieri hoc saltem quoad impositionem nostram; rem enim significatam per nomen si spectemus, prius dicuntur de Deo, quàm de Creaturis.

XV. Restat dicendum quomodo *Attributa de Deo & sese invicem prædicentur*. *Attributa* quando de Deo prædicantur, non *Univocam*, sed *paronymicam* prædicationem faciunt. Argumentamur: *Quæcunque attributa de subjecto prædicantur non Essentialiter*, illa prædicantur *paronymice*. Iam prædicata de Deo dicuntur non *Essentialiter*. Ergo prædicantur *paronymice*. *Minorem probo*, *Sapientia Dei non est Essentia ipsius, sed distinguitur ab ea ratione*. II. *Quæcunque terminis connotativis de subjecto dicuntur, prædicantur paronymice*. Atqui *Attributa de Deo prædicantur terminis connotativis*. Ergo prædicantur *paronymice*. Major è natura *paronymorum* patet. *Minorem probo*, dicimus Deum esse *omnipotentem*, non vero *omnipotentiam*. Quamquam *Scaliger Exc. 365. f. 6. p. 1125.* non recte sic nos loqui autumat. Sed non apparet ratio, quare *Scaligero* nihil demonstranti ad stipulemur, nec illud impietatis, quod vibratur anathema impavidos nos feriet. Potest tamen pro hac sententia id afferre, quod nihil sit in Deo quod non sit ipse Deus. Resp. Verum hoc ipsum est in sensu identico, in formali vero negamus. Vnde *Scholastici* ajunt: *Attributa divi-*

ta divina prædicantur de Deo & sese invicem in sensu identico, non in sensu formali. Ex his etiam liquet, quomodo Attributa de se invicem prædicari possint & non possint. Dico: Omnipotentia est Scientia, identicè & objectivè, non autem formaliter. Nec falsum est, si unum non posse de altero prædicari negamus, cum *abstrahentium nulum sit mendacium* juxta Aristotelem. Non enim affirmamus unum prædicatum esse ab alio positivè abstractum, sed saltem præcisivè, per præcisionem intellectus.

XVI. Hactenus ea, quæ notanda veniebant circa attributa divina; sequitur, ut divisiones eorum quæ habentur, jam paucis subjungamus. Damascenus prædicata Dei ita dividit: *κρῆ, Inquit, ἕκαστον τῶν ὑπὲρ θεῶν λεγομένων ἔ, τί κατ' ἐσῖαν ἔστι, σημαίνειν οἰεῖσθαι, ἀλλ' ἢ τί σὸς ἐστὶ δηλῶν, σχέσιν τινα πρὸς τῶν ἀντιδιαφελλομένων, ἢ τι τῶν παρεπομένων τῇ φύσει, ἢ ἐνέργειαν.* Non putandum, unumquodq; eorum, quæ de Deo dicuntur, quid secundum essentiam sit significare, sed vel quid non sit denotare, vel habitudinem aliquam ad ea quæ ipsi contradistinguuntur, vel aliquid eorum quæ naturam ejus consequuntur, vel operationem quandam demique. Sunt igitur Attributa quædam Operativa, quædam non Operativa seu quiescentia. Illa ad extra se proferunt, ut Omnipotentia. Hæc ad externos actus sese non extendunt, ut Æternitas, Immensitas. Alia sunt absoluta, quæ nullum respectum ad Creaturas involvunt, ut Immortalitas; alia respectiva, quæ respectum ad Creaturas involvunt, ut Dominus, Creator. Alia Attributa sunt Negativa, non quòd negationem significant, sed quòd terminis negativis efferantur, ut Immortalitas, Infinitas; alia sunt Affirmativa, quæ terminis affirmativis efferantur, ut Æternitas, Bonitas. Dividuntur & in Communia & Propria. Illa Deo & Creaturis competunt, ut Bonitas; Hæc soli Deo, ut Omnipotentia. Hæc de Attributa.

C

tributis in genere. Nunc de singulis in specie quædam dicenda, & primo quidem de ijs, quæ è ratione Entis fluunt Deoque competunt, quorum primum esto Perfectio.

XVII. Perfectionem Deo ratione Entitatis competere non indiget probatione, cum notum sit omne Ens ratione suæ Essentiæ esse perfectum. Vnde & Alcinous Deum significantibus ornat nominibus cui dicitur nunc. *αὐτοτελής* nunc *ἀειτελής* nunc *παντελής* h. e. à seipso perfectus, semper perfectus, omni ex parte perfectus. Ob Perfectionem Damascenus Deum vocat, *τέλειον ὑπερτελεῖ καὶ προτέλειον*, Perfectum, superperfectum & anteperfectum. Perfectum quando de Deo dicimus, non grammaticè, sed eminenter terminum supponimus. Præclarè hoc indigitat Thomas *part. 1. q. 4. art. 1.* Balbutiendo, inquit, ut possimus, excelsa Dei resonamus. *Quod enim factum non est, perfectum proprie dici non potest. Sed quia in his quæ sunt, tunc dicitur esse aliquid perfectum, cum de potentia educitur in actum: transmittitur hoc nomen, perfectum, ad significandum omne illud, cui non deest esse in actu, sive hoc habeat per modum perfectionis, sive non.*

XIX. Formale autem Perfectionis Dei consistit in indefectu, ita ut sub hoc attributo Deum concipiamus, quatenus omnem perfectionem continet, & omnium imperfectionum planè expers est. Hoc formale Perfectionis Dei pene & in Aristotele *lib. 5. cap. 16. p. 517.* reperimus, ait ibi: *τὰ μὲν ἐν καθ' αὐτὰ λεγόμενα τέλεια, ποσυχῶς λέγεται, τὰ μὲν τῶ κατὰ τὸ εὖ μηδὲν ἐλλείπειν, μηδ' εἶναι τι ἔξω* h. e. *Quæ igitur per se perfecta dicuntur, toties dicuntur, quædam eo quod secundum bene in nullo deficiant, nec habent in aliquo genere excessum, nec est quicquam extra.* Quod Fonseca in Expl. ad Deum ex parte applicat. Idem facit Thomas, quando ad hunc locum ait: *Hæc est conditio primi principij scil. Dei,*

Dei, in quo est perfectissima bonitas, cui nihil deest de omnibus perfectionibus in singulis generibus inventis. Lib. Metaph. cap. 6. ait: ἐπεὶ δ' αἴτια τὰ εἶδη τοῖς ἄλλοις, τὰ ἐκείνων σοιχεῖα πάντων ὡς ἦν τῶν ὄντων εἶναι σοιχεῖα. ὡς μὲν ἐν ὕλην τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν εἶναι δεχάς, ὡς δ' ἔσται τὸ ἐν' ἐξ ἐκείνων γὰρ κατὰ μεθέρωξ' ἐνός τὰ εἶδη εἶναι τῆς δεξιότητος. Ad quem locum ita Fonseca: *Dic nomine magni & parvi intellexisse limitationem, quam omnes species rerum habent, nomine autem Vnitatis Deum, à quo omnes propriam perfectionem participant, quasi dixerit, species rerum habere limitationem ex seipsis (est enim limitatio negatio perfectionis infinitæ) perfectionem verò à summo omnis perfectionis exemplari Deo.*

XIX. Est autem Deus Perfectus *Independenter*, perfectionem enim à seipso habet, unde per essentiam dicitur esse perfectus, Creaturæ per participationem. Dicis, & Creaturæ sunt Perfectæ per essentiam, quum nulla Creatura ratione suæ essentiæ non sit perfecta. Respond. Terminus *per essentiam* est ambiguus, nunc enim *ratione Independentia* per essentiam aliquid dicitur, ita Creator dicitur Perfectus per essentiam, Creaturæ non item; nunc *ratione constitutionis*, sic Creaturæ dici etiam possunt per essentiam perfectæ. Est (2.) Deus Perfectus *Eminenter*, quatenus nempe perfectiones Creaturis proprias in sese continet continentia singulari, ineffabili & prorsus eminenti. Vnde Philosophi Deum vocarunt τὸ πᾶν. Sic in templis Ægyptiorum de Deo, ut de se loquente, scribebatur: ἐγὼ εἰμι πᾶν τὸ γεγονός καὶ ὄν καὶ ἐσόμενον. h. e. Ego sum omne, quod fuit, est aut erit. Hinc ausim pene affirmare, fabulas de Pan, Deorum pastore, suam originem traxisse, de qua re multa legi possunt apud Natalem Comitum *lib. 5. cap. 6.* imprimis pag. 452. De hoc Pan ita Poëta:



— Qui totum continet orbem
— Qui mare, qui cælum, qui terras frugiferentes
— Aeternumq; ignem, hæc Panos sunt omnia membra.
Ægyptij Sacerdotes, qui omnia hieroglyphicè docebant,
perfectionem Dei per Circulum adumbrabant: Circulus
enim est figura omnium perfectissima. Est Deus perfe-
ctus (3.) *Causaliter*, omnis enim perfectio Creaturarum est
ab Eius perfectione. Perfectum omne ex hoc est perfe-
ctum, quia aliquo modo assequitur primum perfectum
Omnes perfectiones desideratæ effluunt à Deo, sicut à prima causa
Thomas p. 1. q. 6. art. 2. p. 17. Est denique Deus perfectus
(4.) *Finaliter*, quia omnium rerum perfectiones ad Eius
perfectionem, ut ultimam scopum, tendere debent. Præ-
clare hoc explicat Thomas p. 1. q. 12. art. 1. *In ipso, ait, est*
ultima perfectio rationalis creaturæ, quod est ei principium essen-
di. In tantum enim unumquodque perfectum est, in quantum ad
suum principium attingit. De Perfectione satis, sequitur
Vnitas.

XX. Non hic de Vnitate Dei numerali, uti solent,
neque de Veracitate Dei, sed quatenus est attributum
Deo ratione Entis competens agemus. Est autem *Vnitas*
attributum Dei, qua Deum quatenus indivisum in se con-
cipimus. Indivisum Deum dicimus, quo ipso denega-
mus ei divisionem in plura completa. Competere verò
Deo hanc Vnitatem sic probo. Quicquid est Ens illud est
indivisum in se. Deus est Ens. Ergo. Imo Deo maxime
convenit Vnitas, tantum enim de uno quodque habet,
quantum de Ente Arist. 4. *Metaph. cap. 6.* Iam Deus maxi-
me de Ente habet. Ergo & de Vno. Vnde Aristoteles 10.
Metaph. cap. 1. ait: *ὅτι ἐν αὐτῷ εἶναι πρῶτον τὸ ταῖς ἁρτίαις αἰτιῶν τὸ ἐν ἑαυτῷ,*
h. e. quo circa id, quod alijs rebus dedit, ut unaquæq; una sit,
illud maxime est unum. Hoc ad Deum referendum, à
quo

quo omnia ut in esse ita & in Vnitate dependent, docente
Fonseca in Comment. super hunc locum. Duplex au-
tem Vnitas omnis est, vel Indivisa Indivisibilis vel Indivi-
sa divisibilis. Illa tam actum, quam potentiam negat h. e.
talis est quæ nec divisa nec ullo modo dividi potest; Hæc
actum saltem negat, h. e. talis est quæ actu non habet divi-
sionem, eam tamen admittere potest. Illam Deo tri-
buimus, hanc minimè, cùm omnis potentia passivæ ex-
pers sit. Plura de Vnitate alibi legi possunt Sequitur
Veritas.

XXI. Deo Veritatem competere patet. Vnumquod-
que enim quod est, Veritatem habet. Quomodo verò
illa Veritas explicanda non usquequaque certum. Veri-
tas ut sic, quat. præcise sumitur explicatur per congruenti-
am seu conformitatem rei cum intellectu. Hoc Creato-
ri, hoc Creaturæ applicari potest, etsi non univocè tamen
analogicè. Variè à varijs intellectus explicatur; nonnul-
li cognoscentem, nonnulli normantem intelligunt. Ve-
rùm uterque, Deo & Creaturis applicari nequit. Re-
ctius ergò intellectus sumitur quat. præscindit à cogno-
scente & normante. Ita sese habet Veritas ejusque intelle-
ctus si simpliciter supponatur. Quando verò personali-
ter, ut hic, supponitur quatenus Deo competit, intelle-
ctus saltem est accipiendus quat. est cognoscens. Termi-
nus divinæ Veritatis est intellectus divinus, non practicus,
sed speculativus, ad quem confertur essentia divina tan-
quam cognita ad suum cognoscens: Intellectus enim
divinus non confert essentiæ divinæ Veritatem, sed sup-
ponit, eamque simpliciter intuetur, in quo intuitu est o-
mnimoda identitas, cùm Deus sit ipsa Veritas. Non De-
us ideo verus est, quia cognoscit se esse verum, sed quia est
verus ideo cognoscit se esse verum. Planè ut Aristoteles
C 3 in Me.

in Metaph. loquitur : Non quia tu vides parietem esse album, albus est, sed quia albus est, vides esse album. De igitur Veritas sic potest describi : Veritas Dei est attributum quo Deum sub statu congruentiæ cum suo intellectu ut cognoscente apprehendimus. Est Deus Verus (1.) independenter h. e. à seipso Veritatem habet (2.) originaliter, quia est origo omnis Veri (3.) ratione Archetypi, ipse enim est Veritas archetypa, juxta quam omnis alia veritas formanda, quæ inde estypa dici gaudet. Eatenus aliquid verum est, quatenus ad primum Verum accedit. Hæc de Veritate, sequitur Bonitas.

XXII. Et Bonitatem Deo competere extra dubium est, Omne enim quod est eo ipso quo est Bonum est. Auctori, qui vulgo Trismegistus dicitur, Deus est ipsum Bonum, nec aliud quicquam præter bonum, ipsa bonitas, solum bonum ipsum, bonum semper, bonum postigens & effundens, bonum ad quod omnia bona & quod bonum semper. Explicandus Autor iste, quod eminenter & comparatè Deum solum bonum esse dicat, non quod Creaturæ non sint bonæ, sed quod talem bonitatem non habeant qualem Deus. Etsi sint, qui quando comparate loquantur, Creaturas plane non bonas pronuntiant. Sed videntur hi ipsi à vero abesse, nulla enim sequela, Creaturæ talem bonitatem non habent qualem Deus, E. nullam bonitatem habent. Cum à negatione hujus bonitatis non liceat inferre & argumentari ad negationem omnis bonitatis, fierent enim quatuor termini in syllogismo, cum suppositio mutetur; simplex enim quæ erat fit personalis. Quotuplex autem bonitas sit vide sis apud Armand. d. Bello Visu tract. 2. c. 28. p. 62.

XXIII. Est autem Bonitas essentialis, qua res congruit cum voluntate. Bonitatis descriptionem quam posuimus,

fuius, omni Enti possumus applicare, voluntas verò in descriptione sumitur, quat. præscindit ab approbante & normante. Verum si Deo applicatur, sumitur saltem ut approbans, Deus enim sui ipsius norma dici nequit. Terminus divinæ bonitatis est Voluntas non quidem ut producat sed approbet, ad quam refertur essentia divina, tanquam approbata ad approbans. Ut enim intellectus divinus non confert Deo veritatem, ita nec voluntas divina confert bonitatem. Potius quia Deus habet bonitatem voluntas divina eam approbat. Describi igitur Bonitas Dei sic potest: Bonitas Dei est attributum, quo Deum sub statu congruentiæ cum voluntate divina concipimus.

XXIV. Est vero Deus bonus (1.) *per Essentiam* seu independenter, uti enim à nemine suum esse ita & bonitatem à nemine habet. (2.) *Causaliter*, ab ipso solo omne bonum, ita ut quicquid boni rationem habet ipsi acceptum ferendum. Vnde Simplicius *ad cap. 34. Epicet.* Deum vocat Principium & fontem omnis bonitatis. Vid. Thomas, *p. 1. q. 6. art. 4. p. 18.* (3.) *Exemplariter*, ad Dei bonitatem omne exigendum quicquid pro bono deputandum. Primum enim in qualibet re est mensura reliquorum, prima bonitas h. e. Dei erit iccirco mensura reliquorum bonitatum. Vnde Dionysius ait: Quantum res habet boni, tantum habet & Dei. Et Boethius: Omnia dicuntur bona, in quantum ordinantur ad Deum: & hoc ratione bonitatis divinæ. (4.) Deus est Bonus *finaliter*, uti omnia bonitatem ab ipso habent, ita & bonitatem omnia ad ipsum dirigere debent. Hinc Deus dicitur ultimus finis, & Summum Bonum, quod ad illum omnia ordinanda & dirigenda. Propterea & Dionysius Areopagita, qui Pauli discipulus dicitur Bellarmino *in l. d. Script. Eccles. p. 43.* Deum vocavit *Centrum Universi*, quia sicut in Centro omnes

omnes lineæ diametrales coeunt & uniuntur, ita Omnis Creatura in primis homo ad Deum tanquam ad suum Centrum debet referri & uniri, secus si fit, aberrat à scopo & disperit.

XXV. Diximus Deum per Essentiam esse bonum, Essentia autem est immutabilis, ergo immutabiliter erit bonus. Si immutabiliter bonus, nequaquam ab ipso malum provenire potest. Malum enim nihil aliud est quam defectus, (*Mali natura nulla est, sed amissio boni nomen mali accepit* inquit Augustin. l. ii. d. C. D. c. 9. p. 646.) deficeret ergo Deus & mutaretur si ullius mali causa existeret. Euripides hunc in modum argumentatur: *ἑοὶ ὄν' ἂν εἰσὶ ἑοὶ εἰ κακόν τι δρῶσι* h. c. *Dij esse Dij cessant, mali si quid patrant.* Eodem argumento usus est Basilus quando dixit: *Si Deus est malorum causa non bonus est, si non bonus neq; Deus.* Dicit etiam eos, qui Deum causam peccati asserunt, similes esse stultis & à sensu alienis, imo Atheis.

XXVI. Hinc Plato in dialog. de Iusto acriter monet, ne Deus causa peccati pronuntietur. *Malorum, inquit, alicui causam esse ipsum Deum, quum bonus sit, refellendum est omnino, neq; permittendum hoc quemquam dicere in sua civitate, si bonis institui legibus civitas debet, neq; insuper quemquam audire sive sit ille junior, sive senior, sive carminibus hæc inserantur sive soluta oratione narrentur, tanquam quæ neq; dicta sancta sint, neq; nobis utilia, neq; inter se consona.* Hæc homo Ethnicus. Non possumus igitur satis mirari imo deplorare horrendas & sacras illas blasphemias, quas Calviniani eructant, Ut quando Zwinglius ait, Deum esse adulterij, homicidij autorem, ad illud motorem, Quando Deum confert cum tauro (*ignosce nobis, Domine, talia narrantibus*) qui si multas vaccas implet, laudem obtinet, cum ipsi lex nulla sit proposita; contra paterfamilias, si præter unam

unam cognoscat Vxorem, pœnam meretur, cum ipsi lex hac de re sit præscripta: Ita si Deus multos homines ad adulteria, scortationes, & alia peccata adigat, laudem obtinet, & non peccat, cum sit exlex. Hæc Zvvinglius, quæ Diaboli, non hominis effata. Plus hic errare videntur Calviniani, quàm Manichæi, Hæreticorum pessimi: hi enim ne Deum mali causam esse dicant, alterum Principium fingunt; Calviniani verò ad ipsum Deum malum devolvunt.

XXVII. Deum esse Actum ex Aristotele constat, is enim *l. 12. Metaph. cap. 7.* Deum vocat *ἐνέργειαν*. Est autem actus Dei attributum quo Deum concipimus, quatenus excludit omnem potentiam passivam. Activa enim potentia maximè Deo convenit, cum perfectio sit, quia Deus agit, potentiam ad agendum habet. Respuit verò divina essentia omnem potentiam passivam, quia hæc non perfectionem, sed imperfectionem infert. Et quia omnem potentiam Deus respuit, solet vocari Actus purissimus. *Non tantum ad res creatas, inquit Cornel. Martini in Metaph. p. 77. sed increatum quoque Deum Actus extenditur. Estq; omnino Deus Opt. Max. & dicitur actus purissimus, simplicissimus.* Hæc de Actu, sequitur Necessitas.

XXIIX. Necessitas est, qua res aliter se habere nequit, *Arist. 4. Metaph. c. 5.* Hanc de Deo dici posse probat ejus oppositum, nempe Contingentia, quæ in Deum nullo modo cadere potest. Necessitas autem & Contingentia totam latitudinem Entis exhauriunt, ita ut quicquid habet essentiam, vel habeat necessitatem vel Contingentiam. Deus autem quia habet essentiam, necessitatem habebit, cum contingentia ei denegata fuerit. Sunt vero & aliæ res necessariae, sed non eodem modo quo Deus, iccirco distinguitur Necessitas in Dependentem & Independentem.

D

den-

dentem. Hæc, non illa, Deo competit. Non tamen, quando Deo tribuimus necessitatem, omnem de Deo contingentiam negamus, sed eam præcipue quæ in essendo est. Admittit alias Deus contingentiam in actionibus, cum non necessariò agat, sed liberè. Potest autem sic describi: Necessitas Dei est attributum, quo Deum concipimus quatenus absolute aliter se habere in essentia nequit.

XXIX. Necessitatem insequitur Simplicitas. Hanc Deo convenire ejus oppositum, nempe Compositum esse probat: hoc namque plane Deo repugnat. Dicis, Simplicitem non esse perfectionem, & propterea Deo tribui non posse. Antecedens ex eo probat Cajetanus, quod simplicitas nihil positivi dicat, sed negationem divisibilitatis importet. Consequentia patet, quicquid enim non est perfectio in Deum nullo modo cadit, utpote qui per essentiam est perfectus. Resp. Simplicitas maxime involvit aliquid positivi. Distinguiamus autem inter rem quæ significatur, & modum, quo illa res significatur. Etiam si aliquid terminis negativis exprimitur, non ideo statim non est positivum, cum illa expressio per voces à nostro intellectu dependeat, hic autem res mutare non possit, sed potius pro varietate earum mutetur & varietur.

XXX. Nec aliter ipse Aristoteles, qui Deum simplicem multis in locis dicit. *Vt l. 7. Eth. c. 15. p. 58. quando ait: Nam si cujus natura simplex sit, eadem actio semper erit jucundissima. Itaque semper una & simplici Deus voluptate potitur.* Argumentatur: Cujus natura simplex, ejus actio est jucundissima. Atqui Dei natura est simplex. Ergo. Porro *l. 2. de Cælo cap. 6. p. 283. Id quod movetur, & primum ἡ ἀπλήν & simplex, & ingenerabile, atque incorruptibile & omnino immutabile demonstratum est esse. Id etiam, quod movet, longe magis tale esse, consentaneum est rationi.* Procedit hic Aristoteles

les vel secundum viam Causalitatis hoc modo : Cœlum est simplex E. multo magis Deus, qui simplicitatem dedit Cœlo; Vel juxta viam eminentiæ ita : Cœlum est simplex E. eminentissimo modo Deus, qui omnium rerum perfectiones continet. Afferit ergo Aristoteles Deum esse simplicem, de quo tamen dubitat Socinus infaustus ille Socius in defens. animadv. p. 44. *Cum sacra litera nusquam, inquit, quod sciamus, Dei essentiam esse simplicissimam testentur & de Deo præter id, quod in S. S. literis expressum est, quicquam asserere, periculi plenum censerit debeat, quam maxime possumus & ab ista & ab aliis ejusmodi enuntiationibus abstinemus.*

XXXI. Quia vero & aliæ res simplices sunt, videndum, quomodo Deus Simplex denominetur. Simplicitas est vel Absoluta, vel Restricta. Absoluta est, qua res independenter in essentia est indivisibilis. Restricta est, qua res dependenter in essentia est indivisa. Deum quando simplicem dicimus, non restrictam sed absolutam intelligimus. Vti enim Deus à seipso habet esse, sic & simplicitatem, quæ esse insequitur. Patet inde omnem omnino compositionem realem repugnare Deo, pluribus quod venit asserendum. Non competit Deo I. compositio ex materia & forma. Haberet alias Deus se aliquid prius, tum partes essentielles à quibus internè componeretur; tum causam efficientem, quæ externè partes illas componeret. Idem enim seipsum componere nequit. Neque Deus esset æternus. Quodcunque enim componitur, à non-esse ad esse traducitur, sicque Deus à non-esse ad esse traductus fuisset, quod negat Deum semper existisse. Et quodcunque est compositum, illud aliquando non esse potest. Deus ergo hoc modo interitui obnoxius

D 2

crit.

erit. Ex his liquet, hanc compositionem Deum non-
Deum facere.

XXXII. Nec II. Deus compositus est ex subjecto &
Accidentibus. Accidentia namque à subjecto abesse pos-
sunt, à Deo autem nihil abesse potest. Accidentia immu-
tant substantiam, Deus vero mutari nescit. Accidentia
cum ob finem Substantijs superveniunt, ut eas perficiant,
Deus vero perfici nequit, cum in esse suo contineat omni-
um ut esse, sic & perfectiones. Quomodo argumentatus
est Cyrillus Alexandr. l. 11. *Thesaur. cap. 1.* *Accidens, in-*
quit, Deo nullum inesse potest: Perfecto enim ex seipso
nihil potest accidere. Et rursus, *Sapienter dicitur nihil acci-*
dere Substantiæ Dei, quoniam in seipso perfecta est. Nec
III. Ex Accidente & Accidente quia plane Accidens Deo
repugnat. Nec etiam illa compositio Deo competit quæ
est ex Genere & Differentia. Non hic attendimus an im-
perfectionem extrema hujus compositionis involvant,
sed hoc saltem, semper in Ecclesia de Deo fuisse hanc com-
positionem negatam. Videatur Fonseca in Logicis. Illis
autem qui hic *παρρησιαζονται*, optimeque de Deo Genus
& differentiam dici posse autumant, respondemus & re-
ponimus verba B. Augustini ex *lib. 10. d. Civ. Dei cap. 23. p.*
605. Liberis, inquit, verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus
ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium
pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne
verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam
gignat opinionem.

XXXIII. Subjungam hic nonnullorum Ecclesiæ
Doctorum, nec non Philosophorum testimonia, ut eo
melius nostra sententia corroboretur. Cyrillus l. 11. *Thes.*
cap. 1. inquit: Videmus substantialem differentiam in compositis
solum inveniri: Deus autem simplicissimus est. Anselmus in
Mono-

Monolog. disertè ait : *Substantiam divinam nullo communi substantiarum tractatu includi.* Bernhardus de vita solitaria p. 1043. in eandem sententiam inquit : *Ipse est summa essentia, ex qua omne esse proficiscitur, ipse est substantia non subiecta predicamentis vocum, sed rerum omnium causale principium.* Elegantissimis verbis Augustinus l. d. cogn. veræ vitæ cap. 3. Deo denegat Genus & Differentiam, Nomine & verbo, inquit, *cuncta exprimuntur quæ sub decem predicamentis humano corde concipiuntur. Sed quod ex iis nullum proprie Deo convenit, manifeste ratio comprobat. Nam si dixeris, quod Deus substantia sit, quæ omnibus subsistere tribuat, & per quam res omnes esse habeant, mox universalia & individua, de quibus substantia predicatur, genera & species, in quibus versatur, simul & novem accidentia, quæ ei necessario inhaerent, animo occurrunt, quæ cuncta liquent, quia minime in Deum concurrunt.* Iuxta Lombardum l. 1. dist. 8. sub L. G. p. 52. *predicamenta artis dialecticæ minime Dei naturæ conveniunt.* Thomas compositionem ex Genere & Differentia etiam repudiat part. 1. q. 3. art. 5. p. 10. inque Deum nullo modo cadere probat.

XXXIV. Digna quæ hic legantur habet B. D. Horneius *disp. Theol. 3. sect. 2. th. 41. p. 273.* *Nec componitur Deus ex natura generis & differentia : genus enim natura quædam est, ut vocant, potentialis, differentia actualis, sicut in Logicis docetur. At in Deo non est potentia quæ actuetur, quia hæc passiva est & imperfectum aliquid. E. nec genus & differentia, vel aliquid naturæ utriusq; simile. Dico aliquid naturæ illi simile : nam cum alias compositio generis & differentia rationis tantum sit, videatur Deo rectè tribui posse. Sed ita rationalis est, ut fundamentum in re habeat : quanquam enim omne universale à mentis opere est ; quod tamen nec homo, aut rationale, ut genus, nec animal ut differentia vel species infima concipi possunt, id à rerum ipsarum ratione oritur.* Vnde quia tale fundamentum seu

D 3 talis

talis natura in Deo non est (potentia enim & actuali illo hac continetur) nec genus & differentia, quæ ex utroque est compositio, ei convenit. Faventinus in diss. cont. Ram. 4. Schol. Log. c. 6. ait, mirum ac dirum esse inveniri quosdam adeo marcidos & murcidos, adeo barbos & barbaros, qui Deum substantiæ prædicamentali adligare non desinant. Cornelius & Iacobus Martini, egregij Philosophi, iterum iterumque inculcant, Deo nec Genus nec Differentiam competere. Geilfusius in Pneumat. impium putat de Deo asserere, esse illum compositum ex Genere & Differentia. D. Calovius in parte gener. Metaph. p. 525. & 544. Deo compositionem ex Genere & Differentia non repugnare asserit; in parte vero Speciali p. 174. Crellium dicit gravissime errare quod Deo Genus assignet. Et p. 175. admodum indignum esse Deo censet; de rudi eum in eandem seriem in substantiarum classem cum aere, quod non minus perfectioni & eminentiæ, quam simplicitati, independentiæ divinæ prorsus repugnat. Hæc de compositione Generis & differentiæ. Rogatum autem volumus unumquemque eorum, qui forsitan hic nobis contrarij sunt, ut eo animo dicta ferat, quo nos attulimus. Posita hæc à nobis sunt, salva Excellentissimorum Virorum autoritate, exercitij gratia, quæ melius edocti retractare non erubescemus.

XXXV. Constat ex supra dictis Deo planè repugnare materiam & formam, unde & Immaterialis est & dicitur. Quod & ipse docet Philosophus, quando Deum vocat Substantiam τῶν αἰσθητῶν κενωρισμένην à sensibilibus separatam l. 12. Metaph. cap. 7. Verum posset aliquis dicere, etsi non crassa & sensibilis materia Deo competit, non repugnabit tamen ei illa quantitas quæ dicitur intelligibilis. Resp. Quid quantitas tam intelligibilis quam sensibilis sit, explicat Aristoteles l. 7. Metaph. c. 10. p. 529. *Materia, inquit,*

Quit, *quedam sensibilis, quedam intelligibilis. Sensibilis quidem, ut aes, & lignum, & quaecumq; mobilis materia: intelligibilis vero, quae in sensibilibus existit, non prout sensibilia, ut puta ipsa mathematica.* Ex his liquet quid materia intelligibilis sit, & quod Deo tribui nequeat. Argumentum forsitan tale erit: Quicquid non est sensibile, ipsi non competit materia intelligibilis. Atqui Deus non est sensibilis. Ergo non competit ei materia intelligibilis. Stat ergo, Deum esse immaterialem. Errant proinde omnes qui Deo corpus vel corporeum quid tribuunt & assignant. De Epicuro id habet Plutarchus *in l. d. plac. Philos. ca p. 7. p. 12. Epicurus, inquit, omnibus Diis humanam formam tribuit, solaque eos cerniratione, ob tenuitatem partium natura simulacrorum.* Aristoteles *l. 12. cap. 8. p. 5.* de quibusdam id etiam memorat. *Tradita sunt, inquit, à veteribus priscisq; hominibus, & fabulae instar posteris relicta, hos esse Deos, totamq; naturam à divinitate contineri. Reliqua vero jam ad vulgi persuasionem conficta sunt, atq; ad legum usum, vitaeq; utilitatem adjecta. Nam & humanam speciem iis tribuunt, & aliorum quorundam animalium similes esse dicunt.* Huc referendi Stoici, qui Deum ignem esse dixerunt, referente Plutarcho loco cit. Ut & David de Dinanto, qui Deum materiam primam esse asseruit. Videatur Exc. Praeses in disputatione de Erroribus circa Deum Opt. Max. *lib. 52.*

XXXVI. Tertullianus, qui tempore Severi Imperatoris floruit, Deo etiam corpus tribuit *l. adversus Praxean cap. 7. Quis negabit Deum corpus esse, ait, etsi Deus Spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. Sed & invisibilia illa quaecumq; sunt, habent apud Deum & suum corpus, & suam formam per quam Deo sibi visibilia sunt.* Et *l. 2. adv. Marcion. cap. 16. ait: Quanta erit diversitas divini corporis & humani &c.* Quid autem per corpus intellectum velit, ipse

ipse explicare videtur *libr. adv. Hermog. cap. 35.* dum ipsam substantiam corpus esse rei cujuscunque dicit. Et *lib. d. Carne Chr. c. 11.* ait: *Cum sit, habeat necesse est aliquid per quod est. Si habet aliqua per quod est, hoc erit corpus ejus, & omne quod est, corpus est sui generis, nihil est incorporale nisi quod non est.* Et si quidem juxta explicationem non erret hic Tertullianus, quando corpus Deo tribuit, errat tamen in eo quod corpus cum spiritu confundat, cum corpus & spiritus adæquate sibi invicem opponantur, uti hoc pluribus in prima Philosophia explicatur. Quicquid est Corpus, non est Spiritus, & quicquid spiritus, non est corpus. Excusat tamen Tertullianum Augustinus *l. 10. de Gen. ad lit. c. ult.* & cum propterea hæreticum factum negat *heres. 86. ad quod vult Deum.* Quanquam sint qui Tertullianistas ob hoc dogma inter hæreticos referant, uti habet Reverendus Dn. D. Præses in laudata disputatione *th. 57.*

XXXVII. Post Tertullianum Manichæi, pessimum hominum genus, Deo corpus tribuerunt, & quidem corpus quadrum & immensum, quod totum hunc mundum replet, ex una tamen parte esse apertum. Sed hæc recitasse, est refutasse. Post Manichæos exorsi sunt Audæani seu Vadiani, ab Audæo Monacho prius orthodoxo post vero Apostata ita dicti, qui etiam Deo hominis corpus & membra assignabant. Vid. eadem disputatio Exc. Præsidis *th. 54.* Horum dogma jam extinctum, ex orco revocarunt Anthropomorphitæ quidam in Italia circa annum C. 940. quorum argumenta refutata legi possunt apud B. Horneium *disp. Th. 3. sect. p. 268.* ut & in disputatione citata *th. 54.* Anthropomorphitas excipiunt Bogomilij, qui vixerunt circa annum C. 1200, dicti à Bog h. e. Deus & mile h. e. propitius lingua Heneta. Hi Patri in divinis formam senis assignabant. Filio ei similem, sed cujus prima la-

malanugo vix conspici possit. Spiritui Sancto tribuebant
formam Adolescentis, qui adhuc imberbiss. Demum
anno nostri seculi decimo eundem errorem errare cepit
Conradus Vorstius Scholæ Steinfurtensis Rector, quan-
do docuit Deo verè corpus tribui posse, si per corpus ve-
ra & solida substantia intelligatur *l. d. Deo & attr. p. 201.*
Argumenta ipsius refutat B. Horneius *in disp. 3.* ubi ea legi
possunt.

XXXIIX. Quia vero materia Deo non convenit,
nec etiam quantitas ei competit, adeoque Deus est Quan-
titaris expers. Quantitatis radix est materia, ita ut ubi
materia, ibi quantitas, & ubi quantitas, ibi materia. Ne au-
tem quenquam decipiat homonymia quanti, prænotan-
da erit. Quantitas est duplex, Extensiva, quæ molis; & In-
tensiva, quæ virtutis & perfectionis dicitur Iavello *l. 4.*
Met. q. 6. p. 129. Quando Deo quantitatem denegamus,
non intensivam sed extensivam intellectam volumus.
Vorstius dicit Deum habere quandam magnitudinem in-
telligibilem, *ac dici magnum non solum ratione qualitatis sed*
etiam respectu quantitatis divine & spiritualis h. e. quæ substan-
tiæ divine conveniat. Verum magnitudo intelligibilis non
est magnitudo, & quantitatem spiritualement esse implicat
in adjecto. Solent autem illam quantitatem ita explicare.
Cum quantitas intelligibilis dicitur, id intelligibile dimi-
nuit de ratione quantitatis, & improprietatem significat,
hoc sensu, quod cæ res habeant quantitatem intelligibi-
lem, h. e. quod cæ res non habeant quidem quantitatem,
noster tamen intellectus in ijs, ex intelligendi imperfecti-
one intelligat & apprehendat aliquid per modum quan-
titaris. Verum nulla est consequentia, intellectus no-
ster Deum concipit per modum quantitatis. Ergo est
quantus. Quantitas enim illa, ad cuius modum rem con-
cipi-

cipimus, non est in re, sed in intellectu, ubi ea etiam terminatur.

XXXIX. Aristoteles *l. 12. Metaph. cap. 7.* omnem omnino magnitudinem de Deo removet: *Demonstratum est, huiusmodi substantiam (Deum) magnitudinem ullam habere non posse.* Et *l. 8. Phys. c. 10. p. 266.* ait: *Patet primum mobile (Deum) magnitudinem nullam prorsus habere.* Dum vero de Deo omnem magnitudinem atque partes negat, eo ipso Deum quantitatis expertem esse docet. Fluit hinc etiam Deum esse Indivisibilem, divisione physica. Quicquid enim non habet partes, dividi non potest. Vnde Aristoteles de Deo ait, *ἀμερῆς καὶ ἀδιαίρετος ὢν.* De immaterialitate satis, succedit Invisibilitas.

XL. Vti duplex oculus nunc mentis, nunc corporis, nec non duplex visio cuilibet oculo respondens datur, una, quæ mente; altera, quæ organo corporeo fit: ita etiam duplex visibile dari potest. Vnum quod est visibile visione quæ corporis; alterum quod visione quæ mentis oculo peragitur. Invisibilitas Dei negat Deum visibilem esse oculo corporis. Probamus. Quicquid est immateriale, est invisibile oculo corporis. Deus est immaterialis. E. non est visibilis oculo corporeo. Major patet. Immaterialitatem invisibilitas insequitur, quia nulla potentia extra suum objectum ferri potest, potentiæ autem visivæ terminus & objectum proprium est color & lux, hic terminus est materialis, ubi ergo non est color & lux, ad id non extendit sese oculus noster. Vnde Philosophi visionis objectum exprimunt per vocem *αἰσθητόν.* Possimus & nostram majorem experientia stabilire: ea testatur nihil nos videre aut vidisse, præter id quod mole aliqua corporea præditum. Aristoteles Deo visibilitatem eo ipso denegat, quod vocet ipsum Substantiam à sensibus separatam. *l. 12. Metaph. c. 7.*

XLI. Pos-

XLI. Possset autem quis objicere, si Deus sensum fugit, etiam intellectum fugiet, cum nihil sit in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. At falsum est consequens E. & antecedens. Resp. Duplici modo aliquid in sensu esse dici potest. (1) *Directè*, per se & immediatè. (2) *Indirectè*, per accidens & mediatè. Directè ea in sensu esse dicuntur, quæ qualitatibus sensibilibus gaudent. Indirectè in sensu est, quod vel per partes, ut mons aureus, vel in suo effectu, ut Creator, vel in suo simili, vel in suo opposito cognoscitur. Deus indirectè, nempe in suo effectu, videtur, quomodo eum vidit Autor l. d. Mundo, sive is sit Aristoteles juxta Olavum VVormium Profess. Haffniensem; B. H. I. Scheurl in *bibl. mor.* & Excell. Slevogtum, insignem nostri temporis Philosophum; sive Theophrastus, uti credit Coelius Rhodig. l. 15. l. A. cap. 20; sive Nic. Damascenus uti vult Muretus l. 2. V. L. cap. 8. Ait autem Autor iste cap. 6. *διότι πάση θνητῇ φύσει μὲν ἀφανῆς, ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων θεωρεῖται* h. e. *Quapropter cum Deus sit inconspicabilis naturæ omni interitura, ipsis nihilo secius ipse cernitur ab operibus.*

XLII. Et hoc est quod Apost. Rom. 1. vers. 19. ait: *Id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in illis: Deus enim illis patefecit. Siquidem quæ sunt invisibilia ipsius, ex creatura mundi, dum per opera intelliguntur, pervidentur, ipsa æternæ tum potentia tum divinitas:* Hunc locum non de salutari sed naturali notitia intelligendum esse jamdudum Socino nostri Doctores ostenderunt. Duo hic obiter notamus Primò Objectum notitiæ naturalis, quod Apostol. describit in genere per *γνωσὸν τῆς θεῆς* & in specie per *τὰ ἀόρατα αὐτῆς, ἢ τὰ ἀίδια αὐτῆς δύναντα καὶ θεότητα* h. e. *invisibilia ipsius æternam videlicet ejus tum potentiam tum divinitatem.* Per invisibilia non intelligit Angelos, cum scopus Apostoli non
bs mul E 2 fit

fit notitia Angelorum sed Dei notitia. Nec per invisibilia Patrem, per æternam potentiam Filium, per divinitatem Sp. Sanctum vult intellectum, cum non hic agat de distincta Trinitatis notitia, sed de ea quæ ex lumine naturæ haberi potest. Quid per invisibilia velit, ipse Paulus exponit quando *æ* vocat Dei æternam potentiam & divinitatem. Particula enim *æ*, ut notat Beza, non copulativa, sed explicativa est. Pluraliter autem dicit Apostolus Invisibilia Dei, quia pluribus modis cognoscitur Veritas Dei per ea, quæ facta sunt. Ex perpetuitate namque Creaturarum intelligitur conditor æternus, ex magnitudine creaturarum intelligitur omnipotens, ex ordine & dispositione sapiens, ex gubernatione bonus, hæc enim ad unitatem Deitatis pertinent monstrandam, quemadmodum habet P. Lombardus *l. 1. dist. 3. L. A. p. 19.*

X L I I I. Secundò attendendum, *Medium*, per quod veniamus in ejusmodi cognitionem, quod Apostolus *κτίων κόσμος* h. e. creaturam mundi vocat. Quæ verba non activè pro eo qui intelligit, sed passivè pro eo, ex quo Deum esse intelligitur, explicanda. Hinc patet quid sentendum de sententia Lombardi, qui *l. 1. dist. 3. L. A. p. 17.* per creaturam mundi hominem intelligit. Sapit autem locutio Pauli Hebraismum ita ut creatura Mundi sit ipse mundus, prorsus ut *Matth. 5. vers. 22.* gehenna ignis est gehenna ignea; & *Apocal. 17. vers. 1.* damnatio meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas est damnata meretrix. Deum in effectu nos videre docet etiam David *Pf. 19. v.* quando ait: *Cæli enarrant gloriam Dei & opera manuum indicat firmamentum.* Enarrant gloriam Dei non effectivè, quasi voce sonora eum celebrent; sed *objectivè* quatenus sua dispositione & pulchritudine homines alliciunt, uti Deum agnoscant. Ad hoc forsitan respexit Pythagoras, quando Cœlum ad

lum ad harmoniam canere dixit, de quo vid. Aristot. *l. 2. d. Cælo cap. 6.* & Conimbr. *in b. l.* Item Cicero *in Somn. Scip. & l. 3. d. Nat. Deorum.*

XLIV. Liquet jam ex superioribus Deum directè oculo corporis nos minime videre posse, an vero à superiori virtute oculi potentia elevari possit, ut Deum videat non usque quaque liquet. Gregorius de Valentia affirmat, nonnulli contra negant. Ego qui ferendo huic oneri imparem me lubenter agnosco, nihil certi definiens lectorè ad Gerhardum aliosque ablego. Paucis in id jam inquiremus, An scil. Deum in vita æterna oculo corporis visurifimus. In quo consistat Beatitudo æterna, diversas invenimus sententias. Thomas *pr. secundæ part. qu. 3.* constituit eam in visione Dei: Scotus in amore Dei: Aureolus in gaudio Dei: Bonaventura in visione, amore & gaudio Dei. Nos Thomam secuti distinguimus inter constitutum & consecutivum. In æterna vita Deum videbimus, & hoc respectu Dei erit clara Dei visio, respectu nostri summum bonum, quod insequetur amor & gaudium. Unde Augustinus *l. 22. d. C. D. c. 29. p. 733.* *Premium, ait, fidei nobis visio ista servatur.* Et alibi *Deum, inquit, sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, sine defatigatione laudabimus.*

XLV. Deum igitur videbimus in æterna vita, & quidem sicuti est *Iob. 3. v. 2.* & à facie ad faciem *1. Cor. 13. v. 12.* non per quendam fulgorem emanantem, uti Græci asserunt, è quibus prodierunt *Hesychoaste Monachi,* qui gloriabantur suppresso spiritu mirabilem se lucem intueri, cum caput vel mentum ad pectus vel umbilicum apprimerent, & hanc lucem illam inaccessam esse, in qua Deus habitat; lucem, qua in monte Thabor in clarificatione Domini resplenduit; Lucem Deo coævam, & ex illius affectu inexplebili voluptate se perfundi. Dicti proinde sunt *ὀμφαλοψῆχοι,* quòd ca-

pute ad umbilicum appresso increata lucem se videre, ardoremque Spiritus Sancti se concipere ac per nares efflare dicerent, teste Nicephoro l. 9. hist. quemadmodum habet Dn. D. Præses in disp. inaugurali th. 48. Vid. Venerandus noster D. D. Calixtus in dissert. Num. mysterium Trinitatis &c. Videbimus, inquam, ipsum Deum non oculo corporis, sed mentis. Probamus: Angeli Deum mente vident. E. & nos in vita æterna: erimus enim ἰσαγγελοι. Augustinus l. 22. d. C. D. c. 29. p. 733. ait: Sicut illi, Angeli, vident, ita & nos visuri sumus, sed nondum ita videmus. Et ad Paulinam cap. 11. Non ad oculorum corporalium, inquit, sed ad mentium visionem pertinet. Videtur alias Augustinus asserere l. 22. d. C. D. cap. 29. p. 733. Deum in æterna vita à nobis oculo corporis visum iri. Verum dicendum cum Thomapart. 1. q. 12. art. 3. p. 32. & Conimbr. in l. 2. Arist. d. Anima c. 6. q. 3. art. 2. p. 202. non tam asserendo quam differendo ea Augustinum pronuntiasse. Plura de hac quæstione legi possunt apud Venerandum nostrum Calixtum in l. d. Bono perfectè summopag. 3. & seqq.

XLVI. Sequitur Infinitas. Ne autem Infiniti ὁμωνυμία quemquam decipiat, lubet prius eam evolvere. Infinitum sumitur (1) vel negativè vel privativè, quæ significationes fluunt ex vocula in, ut notat Armand. de Bello-Visu t. 2. c. 65. p. 138. Privativè infinitum dicitur, quod ratione naturæ finiri aptum natum, attamen actu vel nunquam vel difficulter finitur. Negativè infinitum est, quod nec actu unquam finitur, nec ratione naturæ finiri aptum natum. (2) Infinitum aliquid dicitur ratione durationis. (3) Infinitum aliquid dicitur ratione quantitatis. Dari posse infinitum in quantitate saltem quoad potentiam, fierique illud additione & ablatione juxta Aristotelem 3. Phys. omnibus liquet. An vero Infinitum actu tale secundum quantitatem in rerum natura à Deo esse possit, ejus-

eiusque infinitati non repugnet, à nemine, quod scio, concessum. Unde quando Aristoteles dari quantitatem infinitam negat, tum de actu tali, non potentia cum loqui unanimiter dicunt. Nos, exercitij gratia, contra asserimus divinæ potentia & Infinitati non repugnare & officere, rem Ens infinitum juxta quantitatem in rerum natura ponere. Argumenta, quæ nos in eam sententiam induxerunt, hic proferre longum foret, interim petenti ea non denegabimus. Denique (4) datur Infinitum ratione essentiali, atque de tali infinito solum jam nobis sermo erit: superiora enim huc non pertinent. Hæc de homonymia, quam si quis accuratius enucleatam velit, illum remitto ad Aristotelem *l. 3. Phys. cap. 4. & l. 11. Met. c. 8.* Vt & Armand. *loc. cit.*

XLVII. Cognito nunc, quo nomine nobis hic Infinitum veniat, dispiciendum amplius, an sic Deo competere possit: hoc enim nondum patet. Vorstius sine dubio Infinitum eo modo supposuit quo nos, & tamen Deum infinitum esse non facile concedit. Duplici verò modo Dei infinitatem probant. Semel à priori, quia Deus est simpliciter primus. Quod verò simpliciter primum, id independenter habet, quæ habere debet, ita ut nihil addi, nihil inde demi possit, adeoque infinitum est. Et semel à posteriori, ab infinita virtute operandi. Hæc enim fluit ex essentiali, ita ut modus operandi arguat modum essendi. Deus autem cum infinita virtute agendi polleat, ut Aristoteles *l. 8. Phys. c. 10.* docet, etiam in essentiali infinitus erit. Mornæus *d. Ver. Rel. c. 4. p. 51.* ita probat Infinitatem Dei: *Dicimus Deum ubiq; esse, ergo infinitus est.* Non incommode & Dei infinitas juxta Aristotelis principia sic probari potest. Deus cognoscit omnia presentia, præterita & futura in particulari, fines etiam omnium agentium

tiū particularium, ad quos ipsa diriguntur. Hæc autem sunt infinita: ergo habet infinitam vim cognoscendi. Sed qualis operatio, talis essentia. E. Et hæc est etiam idem cum essentia Dei, ergo habet infinitam essentiam. Vid. Toletus *in l. 8. Phys. Arist.* Duo hic notata digna iudicamus. Primò, nos juxta Aristotelis principia hic argumentari, qui tempus æternum esse statuit, hoc nisi præsupponatur, probatio nihil evincet. Secundò, Aristotelem vere Deum agnovisse esse infinitum, licet ex falso præsupposito id probare allaboret. Non ergo dicendum Dei infinitatem non cognovisse Aristotelem, quia fundamentum, ex quo eam probat, falsum plane est, cum nulla sequela sit, Aristoteles ex falsa hypothese Dei infinitatem probavit, Ergo illam non agnovit vel etiam negavit.

XLIX. Constat jam Deum esse infinitum, & hæc sententia omnium priscorum fuit, nam ut ait Aristoteles *l. 3. Phys. c. 4.* omnes prisci tribuerunt infinitatem primo principio, licet postea errarent in applicatione talis infinitatis. Consistit autem Infinitas in repugnantia ad habendum essentia fines seu terminos. Alij ita describunt: Infinitum est quod non habet fines essentia sua. Etsi autem hæc descriptio passim recepta, attamen quia ultimum conceptum non repræsentat (possum enim ulterius quærere, an Deus essentia terminos habere possit) lubet per repugnantiam formale ipsius Infinitatis exprimere. Ita autem repugnantia ad habendum Essentia terminos dicit (1) Deum non debere suam essentiam alteri, si autem deberet, aliquando non fuisset, & sic non erit Primum omnium. Vnde Vasquez eo adductus fuit, ut formale Infinitatis in *non esse ab alio* constituerit. (2) Dicit illa repugnantia, Essentiam Dei nemini subjectam esse, à nemine limitari vel corrumpi posse. Hæc est infinitas Dei, quæ se diffundit ad omnia omnino attributa. XLIX.

XLIX. Plurimæ hic moveri de infinito quæstiones
possent, quia vero ex partim sine ignorantia nescire, &
sine crimine hic omittere possumus, istis supersedebimus,
& illud unicum in quæstionem vocabimus; An Deus sim-
pliciter & absolute, an vero secundum quid & quoad nos
sit Infinitus? Posterius Mornæus *d. Ver. Rel. c. 4. p. 51.* &
Conradus Vorstius affirmant. Verba Mornæi cit. loc. hæc
sunt: *Infinitus Deus est nobis, sibi autem undequaque finitus*
Vorstius ita ait: *Deum non esse actu simpliciter infinitum neq;
essendo neq; operando, tamen si respectu nostri sic dicatur utrumq;
Item Essentiam Dei non esse infinitum, sacras literas Deum nun-
quam absolute infinitum appellare; secundum quid & comparati-
ve non negare.* Verum quia impium pene est hoc ipsum
de Deo asserere, prius nos assumimus. Ad argumentum
Vorstij resp. Habetur aliquid in S. Scriptura duplici modo
(1) *κατὰ ῥητὸν* (2) *κατὰ διάνοιαν*. Etsi *κατὰ ῥητὸν* h. e. quoad vo-
cem, Deus in Scripturis Infinitus non dicatur, per bonam
tamen consequentiam in ijs ita denominatur. Vox Infi-
nitas in Scripturis non habetur, res tamen quam nos
per illam vocem denotamus maxime inibi continetur.
Sic enim ait Regius Psalter *Pf. 44. v. 3. Magnus Dominus &
laudabilis nimis & magnitudinis ejus non est finis.* Quæ verba
non de magnitudine molis sed virtutis intelligenda, est e-
nim Deus sine quantitate magnus, sine qualitate bonus ut
ait Augustinus. Argumentamur ex his verbis: Quic-
quid ratione virtutis non habet finem, illud est infinitum
in essentia. Deus ratione virtutis non habet finem. E. est
infinitus. Majorem probo quia virtus fluit ex ipsa essen-
tia, jam vero quomodo infinitum ex finito fluere potest?
Imo in Deo virtus & essentia sunt idem, cum nihil sit in
Deo quod non sit ipse Deus. (2) Falsum est Deum com-
parative infinitum esse. Argumentamur: Quicquid in
F se

se & sua natura actu est infinitum, illud non est comparative infinitum. Atquid de Deo verum est prius, ergo & posterius. Major patet, quia quod respectu nostri de aliqua re dicitur, id non naturæ rei inest. Sic stellæ nobis sunt infinitæ, non autem in sese. Minor ex dictis facile patefiet. Satis de Infinitate, succedit Immensitas.

L. Vti Deus in essentia se habet, ita & in existentia. Iam vero dictum ratione essentiæ Deum esse infinitum, erit igitur & ratione existentia infinitus. Hæc infinitas ratione existentia uno nomine dicitur Immensitas, quam Deus in S. literis sibi vindicat, quando se coelum & terram implere dicit *Ierem. 23. v. 24.* In primis David *Pf. 139. v. 6.* & Hiob, qui multo antiquior Mose Hieronymo & Bellarmino dicitur, *cap. 11. v. 8.* *Altior, inquit, est cælis & profundior inferno.* Consistit autem Immensitas Dei in infinita existentia, qua Deum in omni spatio tam vero quam imaginario per suam essentiam non posse non existere concipimus. Non vero illa immensitas explicanda, quasi Deus per totum mundum sit extensus & expansus, veluti, si nullum corpus in rerum natura exstaret, terra ad omnia loca & spatia extendi posset. Nam talis extensio non efficeret Immensitatem, cum terra secundum unam partem in aliquo spatio esset, in quo non esset secundum aliam. Sed Deus ita immensus est, ut, positione quacunque facta, sit in omni spatio. Ponantur spatia etiam infinita, Deus in quolibet erit, non secundum partem sed secundum totum suum esse. Idem de phrasi observandum, qua Deus in Vbi repletive esse dicitur. Nec Deus est ubique ut anima nostra juxta nonnullos ubique esse dicitur, nam (1) anima cogitatione, Deus essentia ubique est. (2) Anima simul & semel nec cogitatione ubique esse potest, Deus vero simul & semel ubique est. Hæc pensitantes Patres

tres

res & Scholastici, Deum ubique esse & nusquam esse dicunt.

LI. Deus igitur ob immensitatem in omnibus veris locis est, non quidem ut locatum in loco, quod ab ijs contineatur, sed quod illa sua essentia contineat & comprehendat. An vero etiam extra mundum in spatijs, ut loquuntur, imaginarijs existat, aliquam difficultatem secum trahere videtur, cum imaginaria illa spatia plane non sint, & sic Deus in illis existere non posse videatur Resp. Non dicitur Deus in spatijs imaginarijs proprie esse, sed quia in se existit, quemadmodum ante conditum hoc universum, cum nullum spatium erat, existebat. Vid. Lombardus l. 1. dist. 37. p. 218. Labet hic afferre verba B. D. Hornei *diff. Th. 3. s. 2. p. 289.* egregie rem nostram declarantia. *Triplex, inquit, spatium statui potest (1) creatum, quod extensione corporali constat, quali hic mundus quaqua versum extenditur (2) increatum, quæ ipsa immensitas Dei est, primum illud intimum & fundamentale spatium, cui omne aliud spatium innititur, & (3) imaginarium, quod mens nostra, cum aliter immensitatem illam Dei concipere nequeat, sibi imaginatur.* Quando igitur Deus in spatijs imaginarijs esse dicitur, sensus erit, nullum omnino spatium animo concipi posse, in quo Deus non existat. Quomodo vero Deus sit immensus, & tamen sordibus rerum non inquinetur, quod Crellius & Vorstius metuunt, explicatu facile est. Dicimus longe sese rem aliter habere de materiali, quam immateriali re. Illud, non hoc inquinari potest. Potest res etiam exemplo Solis illustrari, qui radios in quamvis rem sordidam effundit, nec inde tamen inquinatur. Vid. Lombardus l. 1. dist. 37. sub L. H. p. 221.

LII. Quia Deus est immensus etiam erit Omnipræsens. Omne enim immensum est omnipræsens, cum hoc

ex illo fluat, quanquam non contra. Radix & principium Omnipræsentia Dei est immensitas. Differt autem Immensitas ab Omnipræsentia, ut absolutum à respectivo, immensitas Deum dicit infinite existentem esse, sive juxta ipsum existat aliquid sive non; Omnipræsentia vero involvit rem cui Deus præsens sit. Immensitas igitur ab omni æternitate Deo competit, omnipræsentia non item, cum non existerint res ab æterno, in cujus respectu præsentia illa dici posset. Unde Omnipræsentia extrinsecè saltem denominat Deum, & hic explicatur quatenus est consequens Immensitatis. Præsentia autem alia est solum ex immediatione virtutis, ita Sol præsens est inferioribus. Alia ex immediatione suppositi, quando agens patiens sua essentia tangit. Alia præsentia est ratione potentia, ita Regina Succiæ est in Pomerania, licet essentia non adsit. Deus quando omnipræsens denominatur, omnibus his modis præsens esse dicitur.

LIII. Deus igitur totus adest omnibus & singulis rebus, & in singulis partibus earum. Prorsus ut anima, quæ, quia spiritus, ubi est ibi tota est. Advertendum tamen improprie dici Deum omnibus rebus totum adesse, cum nullas agnoscat partes, quæ solum totum constituent. Sensus igitur negativus, non positivus erit, nempe talis. Quicquid habet Deus, sive partes sunt, sive non, id totum omnibus rebus & quibuslibet earum partibus adest. Modus igitur præsentia Dei est & dicitur repletivus, quod nempe sua præsentia omnia etiam minutissima quæque repleat, non quidem modo Physico sed hyperphysico. Nec tamen propterea aliquid infinitati Dei derogamus, quando eum in minutissimis totum adesse asserimus. Licet enim Deus insit minutissimis, non ideo tamen illi parti, in qua est, per hoc æqualis aut etiam minor, erit

erit quia ita totus est in ea ; ut tamen non contineatur ab
ea, sed etiam extra eam modo prorsus nobis ineffabili exi-
stat. Ipsi Ethnici Deum non presentem esse agnove-
runt, proinde Seneca ait : Prope est à te Deus & cum est,
intus est, sacer intra nos spiritus sedet. Item Autor *l. d.*
Mundo πάντα εἶναι θεῶν πλεῖστα dixit.

LIV. Vti autem Deus in essentia est infinitus, ita et-
iam induratione, & uti immensitas in omni spatio Deum
esse dicit, ita aeterna duratio omni tempore conceptibili
Deum esse infert. Natura autem aeternitatis ex duobus
patet. Primo ex interminabilitate, & secundo ex con-
tinuitate. Boethio *aeternitas est interminabilis vita tota simul*
& perfecta possessio l. s. d. Cons. Phil. prosa 6. Videatur Tho-
mas de hac descriptione *p. 1. qu. 10. art. 1. p. 25.* Nos ita eam
describimus : Aeternitas est attributum qua Dei in essen-
do durationem interminabilem cum continuitate con-
junctam inferimus. Deus ita durat, ut ejus durationis
terminus tam à parte ante quam post nec detur nec dari
possit. Destruit ipsum Deum aliquando eum incepisse,
vel etiam incepisse potuisse. Quia vero Thomas & alij sta-
tuunt, quod initij & finis expertem esse accidentaliter
tantum aeternitatem à tempore discernat, necessum erat
adjicere Dei interminabilem durationem conjunctam ef-
se cum continuitate. Continuitas illa negat omnem suc-
cessionem & fluxum prioris & posterioris, & ponit fixum
& stans *ὑπὸν*, ut Boethius vocat. Deus non admittit præteri-
tum & futurum, cum illa imperfectionem quandam im-
portent. Præteritum enim dicit mutationem ab esse ad
non esse, futurum dicit quod erit jam vero non existit.

L V. Temporis differentias plane Deo repugnare
etiam inde patet, quod aeternitas duratio infinita, tem-
pus finita sit. Ita sese habet Aeternitas Dei, quando ratio-

ne naturæ spectatur. Quando vero modum, quo nos de
Æternitate loquimur, respicimus, efferimus eam per est,
erit, aut fuit. Intellexit hoc Plato qui in Timæo ita ha-
bet: *Dies porro & noctes, & menses, & annos, qui ante cælum
non erant, tunc nascente mundo nasci iussit, quæ omnia temporis
partes sunt. Atqui erat & erit, quæ nati temporis species sunt,
non rectè æternæ substantiæ assignamus. Dicimus enim de illa est,
erat; & erit, scæ illi revera solum esse competit. Fuisse verò &
fore deinceps, ad generationem tempore procedentem referre de-
bemus. Motus enim quidam duo illa sunt: Æterna autem sub-
stantia cum eadem semper & immobilis perseveret, neq; senior
seipsa sit unquam neq; junior, neq; fuit hætenus, neq; erit imposte-
rum, neq; recipit eorum quicquam, quibus res corporeæ mobilesq;
ex ipsa generationis conditione subiiciuntur.*

LVI. Et quidem quando istis temporum differen-
tijs Dei æternitatem circumloquimur & efferimus, non
mentimur. Rectè Venerabilis Beda *Quamvis natura illa
immutabilis non recipiat fuit & erit sed tantum est, tamen pro-
pter mutabilitatem temporum in quibus versatur nostra mortali-
tas & nostra mutabilitas non mendaciter dicimus; fuit & est &
erit.* Nempe ita est, ut nos sumus ita rem efferimus, a-
deo nihil supra humana sapimus. Æternitatem conceptu
nostro dividimus quasi in partem præteritam, præsentem
& futuram, non quod revera eæ partes in æternitate exi-
stant, sed quia quod est *ὡς ἔστι καὶ ὑπὲρ αἰώνου*, uti Deum
esse dixit Dionysius, declarare cupientes temporalem spe-
ciem ac significationem fugere nequimus, quemadmo-
dum piè meditatatur Nazianzenus. Deus dicitur heri fuisse,
& hodie esse, non quia fuit in heri & est in hodie, sed quia
fuit quando heri fuit & quia est quando hodie est. Nec
Deus plus duravit hodie ac heri, sed solum plus temporis
duravit cum Deo hodie quam heri. Notanda autem re-
gula

gula illa Scholasticorum : Nomina differentias temporum significantia, quando de Deo efferuntur, sub ratione affirmationis solum, non vero negationis illi tribuenda.

LVII. Præit hic nobis Spiritus Sanctus, qui ad captum nostrum se accommodans, differentijs temporum æternitatem Dei exprimit. Sic *Psal. 28. Anni tui non finiuntur.* Item *Apocalyps. 1. v. 8. Ego sum a & ω, principium & finis, dicit Dominus, Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est.* Vnde nihil conatur Vorstius & Crellius, quando Dei æternitatem ex eo, quod in Scripturis Deo tribuatur esse, fuisse aut futurum esse, evertere conatur. *αὐτὸς ὁ αὐτὸς ὁ αὐτός* enim ea dicuntur, quæ *ἰσοπεποιῶν* explicanda. Vnum hic monendum; uti Deus ratione immensitatis in omnibus spatijs existit, ita ut non contineatur ab ijs sed omnia ea contineat; sic Deus ratione æternitatis in tempore est, nempe continet illud, non quidem formaliter, sed eminenti & ineffabili prorsus modo, quo cætera quæ alias creaturis propria.

LIX. Eo modo quo Æternitatem explicavimus soli Deo convenit. Olim exortus est Arnoldus quidam, nempe tempore Bernardi Abbatis Clarevallisensis circa annum 1134, qui dixit, Aliquid præter Deum esse æternum. Ab hoc Arnoldo dicti sunt Arnoldistæ, quod ea, quæ Arnoldus, profitebantur. An vero implicet contradictionem, Creaturam posse ab æterno esse, non est hujus loci discutere, interim qui cupit noscere id minime contradictionem implicare, legat modo unius Slevogti, acutissimi illius Philosophi, disputationem secundam de Creatione anno 50 mense novembri habitam. Hæc de æternitate Dei, quam & ipsi Ethnici non nesciverunt, unde Paulus *Rom. 1. Ethnicos Dei æternam potentiam*


niam pervidisse asserit. Aristoteles 12. *Metaph. c. 7. p. 562.* vitam & ævum continuum, & æternum Deo inesse dicit. Egyptij per circulum etiam æternitatem adumbrabant, utpote nec principium nec firmum habentem. Pythagoras discipulos suos circumactu corporis Deum adorare volebat, ut eo ipso Deum æternum esse exprimeret. Turcæ hodie altissimam turrim conscendunt, & clamitant, Deus semper fuit, semperque erit, uti ex Georgievizio constat.


Atque sic cum æternitate nostram disputationem finimus, concludentes verbis Magistri sententiarum l. 1. dist. 2. sub L. A. p. 10. *Venerabilis Doctor Augustinus in 1. lib. de Trinit. de se ipso ait; Non pigebit me sicubi hæsito querere: nec pudebit, sicuti erro, discere. Quisquis ergo audit hoc vel legit, ubi pariter certus est, pergat mecum ubi pariter hæsitat, querat mecum: ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me: ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul charitatis viam tendentes ad eum, de quo dictum est, Querite faciem ejus semper.*

F I N I S.













THEOLOGICA
DE
IBVTIS
INIS

A M
M. A.

RESIDIO
HILDEBRANDI
CTORIS ET OR-
PROFESSORIS
TRI JULIA

Ianuar.
um examini subijciet
THEODORVS *Meier*
overanus
IIVLEI AVDITORIO.



T157

AESTADI,
MULLERI Acad. Typ.
13 13 c LIV.